



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

30. An si quis, ut averteret furem à furto maiori à Paulo, consuleret furtum minus à Petro, teneatur restituere Petro? Et quid, si fur esset determinatus ad furandum æqualem quantitatem Petro, vel ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76432)

dens Confessarius tollet: vide etiam Henriquez lib. 14. cap. 7. num. 12.

RESOL. XXIX.

Consilium datus ad damnum faciendum, ad quid teneatur restituere? Sed difficultas est de aliis consulentibus, aut consiliariis ad contractus, & alia negotia? Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 23.

Sup. hoc in Ref. aperi- ta, & in Ref. 1. post prae- ritam, §. No- tandum est etiam.

§. 1. Hic casus frequenter solet accidere, & de illo ego alibi fusiùs. Ideo nunc breuiter assero quòd ubi consilium non fuit efficax, nec causa efficiens, sed solum excitans animum iam paratum, tunc consulens ad nullam tenetur restitutionem, & ideo glossa 1. in c. de cetero, de homicidio, dicit, tum quem dici dedisse causam damni, si propinquam causam dedit secus si remotam, qualis est mouens tantum per suum consilium, sine quo aliàs res efficeretur. Vide etiam aliam glossam ver. simplici in c. felici, §. illud, de penis lib. 6. & Rebellium p. 1. lib. 2. q. 14. s. 4. à n. 17. usque ad n. 25. cum aliis.

2. Sed difficultas est de aliis consulentibus, seu consiliariis ad contractus, & alia negotia. Et quidem si consilium fuit datum ab idiota, vel alio quocumque bona fide, sine dolo, aut fraude, non tenetur in vilo foro; fallit tamen si haberet officium consultoris, vt in Aduocato dummodo recipiat salarium, aliàs non puto teneri ex simplici consilio, quod est valde notandum. Et ita Ioan. Valer. in differentiis viri, quo foro, ver. restitutio, diff. 13. n. 2.

RESOL. XXX.

An si quis, vt auerteret furem à furto maiori à Paulo, consulere furtum minus à Petro, teneatur restituere Petro?

Et quid, si fur esset determinatus ad furandum aequalem quantitatem à Petro, vel Paulo, indeterminatus autem à quo velis; an amicus Pauli possit consulere, vt furetur potius à Petro? Ex part. 11. tr. 6. & Misc. 6. Refol. §. 8. aliàs 56.

Sup. conie- to in hac Ref. in tom. 7. tr. 5. Ref. 34. §. vi. à li. 5. & in alii seius nor. & in tom. 5. tr. 6. lege do- ctinam Ref. 46. signanter ad medium, à ver. Et li. c. 6. & etiam aliarum eius a not. quam- uis non di- cant plene sup. hoc.

§. 1. Ad hoc dubium Pontius in cur. Theol. disp. 52. q. 9. concl. 2. n. 56. responderet, quod si fur erat determinatus ad furandum ab alterutro, sed indeterminatus à quo, qui consulere furtum minus à Petro, non esset obligatus ad restitutionem Petro; nec peccaret consulendo illud, quia tale consilium non esset nisi significatio, quod minus malum esset furari à Petro minus, quam à Paulo maius. Quod non potest esse illicitum. Quod si etiam consilium supra hanc significationem importet (vt ego existimo) desiderium aliquid quod voluntatis quo velis, vt furetur à Petro, adhuc illa voluntas non videtur iniusta: quia non est nisi conditionata, nimirum si ab alterutro ex illis duobus furari vis, volo potius vt fureris à Petro, quia id minus malum est. Huiusmodi autem voluntate non facit iniuriam Petro, quia potius debet respicere honorem Dei quam emolumentum Petri.

2. Cardinalis de Lugo existimat, quod si fur determinaret furari multum à Paulo, vt hoc quis impediret, eum non debere consulere ipsi; noli hoc facere: sed potius furtum minus à Petro: quia sic induceretur fur ad furandum à Petro, de quo, vt supponitur, non cogitavit fur, quod videretur iniuriosum Petro.

3. Hæc tamen doctrina mihi limitanda videtur: nam si posset aliter auertere furem à peccato maiori, quam determinando Petrum; conuenio cum Cardina-

Sup. hoc in §. 1. not. prae- terit. a, & c.

li Lugo, quod fieret iniuria Petro per determinationem illius. Sed si non posset eum auertere nisi determinando Petrum, videtur omnino, quod non faciat iniuriam Petro: quia potius debet respicere ad honorem diuini, qui magis offenditur peccato maiori, quam ad emolumentum Petri. Hucque Pontius.

4. Sed ego assero, quod si suadeas homini peccato inferre magnum damnum Petro, vt inferat minus damnum Paulo, de quo ille non cogitabat, teneberis Paulo de isto damno minori si inferatur. Si malefactor verb cogiter de vtroque, sed hæreat anceps, cui malum vellet inferre, resolutus tamen alterutri inferre, peccaberis de damno, si consulueris aut rogaueris, vt damnum inferat Paulo, quod in se minus est.

5. Ratio est, quia iniuriam facit Paulo, quando malefactoris indeterminatum animum ad vtrumlibet inclinas, & determinas in particulari ad malum isti inferendum: tantum enim habet iuris Paulus, vt sibi ferretur res sua integra, quæ minoris est pretij, quam Petrus, vt sibi ferretur res sua, quæ maioris est momenti.

6. Notant hic quidam, si tantum in genere dixeris, minor mala esse potius faciendi, quam maiora vel hoc, esse minus malum, siue peccatum, quam alterum, non ideo te incurere obligationem restituendi, quamuis malefactor rem istius postea auferat, vel destruat.

7. Ratio redditur, quia tu veram doctrinam tantum explicuisti, quia ipse ex sua voluntate se determinauit ad damnum inferendum Paulo potius, quam Petro. Existimarem tamen, quod ille censeretur moraliter malefactorem inclinare, & quasi determinate ad damnum Pauli, qui assumptum, & absumptum simul ci proponeret, præsertim si non rogatus id faciat, cum non appareat alius penè vñs istius dicitur. Non enim dici potest seruire ad impediendam maiorem culpam, quia iam malefactor voluntate, & affectu in vtrumque indifferenter fertur. Secus autem esset, si ipse peteret vtrum sit maius malum, & peccatum, quodque velit tantum facere minus, & tum responderetur, illud, siue tale esse minus malum, quam rationis diuersitatem quique potest facile apprehendere, & ideo addidi præsertim si non rogatus. Et hæc omnia docet Ioannes Vvigers de iust. tr. 3. c. 2. dub. 4. n. 26. cum seqq. & alij penes ipsum.

8. Sed si quæras an si fur sit determinatus ad furandum aequalem quantitatem à Petro, vel Paulo, indeterminatus autem à quo velis, amicus Pauli possit consulere ipsi, vt furetur potius à Petro. Et affirmatiue cum Cardinali Lugo respondet Pontius, quia amicus ille debet potius prospicere amico auerendo furem ab ipsius damno, quam non amico; nec rationabiliter potest Petrus conqueri, quod conditionata voluntate voluerit amicus potius malum ipsius, quam amici.

RESOL. XXXI.

An serui non solum peccent mortaliter sed etiam teneantur restituere, si non impediatur furta domestica? Et quid de famulo cui domus cura non est commissæ, an teneatur restituere furta facta a Domino, siue sui si domesticus, siue extraneus? Ex p. 7. tr. 7. Ref. 39.

§. 1. Ad hoc Dubium, me citato, sic respondet S. Trull. in Decalogum tom. 2. lib. 7. c. 13. dub. 1. n. 5. Obligationem contrahit famulus cui cura domus est commissæ, vt inquit, ostiarius, cultos vestium, vel valorum quia ad id ex officio obligantur; famulus autem, cui domus cura non est commissæ, si dum possit, & non impediatur, tantum peccat contra charitatem, & non tenetur restituere: quia ex officio impedit non tenetur

Quo inf. 6. v. 8. Hinc ac. han. ror. dom. Ref. 35. de diu. nisi tran. fra. 3. i. & in. cius. Sup. to in in R. seq. & in R. 12. & alii not. Sup. Ref. 12. po. diu. alii not. Sup. to in seq. 5. infra 37. §. dum supra Ref. 8. & in 7. ex. 1. de. reuer.